

nies: mirum quo pacto iam senescens imperiū quicquid sui pristini vigoris retineat. Syl. Precipue quum tu Cęsar ipsius viscera laceraueris, cęterisque tradideris laceranda. Viguisset profecto vigeretque diu, si non tibi ipsi, sed populo Romano dominationem comparauisses. eiusque fuisses honorē tutatus: non dolerent hodie tui Ciues impunitas Crassiana clade legiones. CÆS. nimirū iste dolor nūquā ad me peruenit. Syl. Ergo tibi soli viuebas, qui nec bonis tuorum letareris, nec malis ingemisceres: nesciste cū naturam tot animi & corporis dotibus munuisse, tū ad summos honores indulgenter a fortuna prouectū, vt ex tua industria quā plurimi fructū decerperent: CÆS. Decet me hercule suam quisque re agat, suis cōmodis attētus sit: ex superfluis vero liberalitatē exerceat. Syl. quasi nō hac potissima sit, deorumque potētie non æquiparetur: quippe nec alio itinere liber pater, Hercules, Ceres, Pallas & alij ad diuinitatē profecti sunt. CÆS. Sylla nimirū obsoleta vetustate narras: quod si res ita se haberet vt ais, nihil istoc magis tuę sentētie subscribere: sed cōtrahe iā vela, & cursum, quo cęperas intēde. Nequeo tamē intelligere quō te isto ex labyrintho euoluēs: hæc quam maxi/